

Petrus de Vinea

*Ep. V 27 (Causam
appellationis a sententia...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 27 (Causam
appellationis a sententia...)*

post 1246

De causa appellationis superiori committenda in criminalibus interiectae.

De causa appellationis superiori committenda in criminalibus interiectae 1. Causam appellationis a sententia condemnationis, latam per B. de..., tunc Potestatem Ciuitatis Castelli, contra T. Rubeum de eadem terra, super quinquaginta libris ad Pandulphum de Fasanella, proditorem nostrum, olim in Tuscia de mandato nostro uicarium generalem, prout asseritur, legitime interiectam, super eo, quod T. Rubeus predictus per B. de... coram eodem Potestate extiterat accusatus, quod eundem B. percusserat cum cultello, fidelitati tuae duximus committendam, mandantes quatenus, totius processus et sententiae latae diligenter inspecto tenore, partibus etiam in tua presentia conuocatis, et qui de iure fuerint euocandi, si prefatum Potestatem ordine iudiciario, et non ex officio, tibi super premissis constiterit processisse ad confirmationem uel infirmationem ipsius processus et condemnationis sententiae, prout fuerit, de iure procedas. Deinde facias, quod iuri et honori nostro uideris utilius et honestius expedire.